

SAGRÆ THEOLOGIÆ
ASSERTA

EX I. P. SUMMÆ DOCT. ANG. S. THOMÆ AQUIN.

quæ in Comitibus Generalibus Ordinis Prædicatorum, Cæsaraugustæ celebrandis nomine Provinciæ Hispaniæ

PUBLICO OFFEREBAT CERTAMINI

P. M. Fr. Paulinus Mercia,

*Doctor Theologus, ac in alma Complutensi Academia Primariæ S. Thomæ
Cathedræ Moderator,*

PATRONO ASSIDENTE

R. A. L. M. Fr. Ferdinando Mercia,

*Sacræ Theologiæ Professore, ac in Salmantina Universitate Vespertinæ
Cathedræ Moderatore emerito; Provinciali Provinciæ Hispaniæ, Concionatore Regio, &c.*

IN REG. CONVENTU FF. PRÆDicatorum CÆSARAUGUSTANO

Die XI. Mensis Junii anni Dom. MDCCCXXXII.

Hora Pomeridiana IV.



MATRITI:

APUD EUSEBIUM AGUADO, REG. TYPOGRAPHUM.

ANNO DOM. M.DCCCXXXII.

ASSERITA

ASSERITA

ASSERITA

ASSERITA

ASSERITA

ASSERITA

ASSERITA

ASSERITA

ASSERITA

ASSERITA

ASSERITA

ASSERITA



ASSERITA

ASSERITA

ASSERITA

PROLOGUS.

Ab antiquo, et quidem non in uno, aut altero Religiosorum Ordine, sed communiter apud omnes consuetudo invaluit, ut inter solemnia eorum Comitia disputationes de re Theologica iterato habeantur, ea ratione, ni fallimur, ut ostendant se ipsos esse, quos sibi elegit Deus, et collegit à finibus terræ ministros ex fortissimis Israel, qui lectulum Salomonis vigilanter, fideliterque custodiant, omnes tenentes gladios, et ad bella doctissimi. Hinc lex apud nostrates stabilita, eaque adamussim servata, ut in generali Præsulum Congressu tota, quantalibet patet, Theologia publico offeratur certamini, Ang. Doctore facem præferente tum aliis celebratissimis scriptis, tum maxime aureo illo suo quadripartito opere, ex quo tot clypei pendent, quot quæstiones, tot gladii, quot articuli, omnis armatura fortium ad destructionem munitionum, id est, doctrinarum hæreticarum; consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, quæ est fides nostra, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.

Principis ergo Provinciarum, quæ Hispaniæ vulgo appellatur, quasi personam induentes, ecce primi in arenam descendimus propugnaturi sub conscriptorum Patrum conspectu, quæ de Deo uno, et trino, Supremoque rerum omnium opifice habentur apud Sanctum Thomam, prima parte Summæ Theologicæ; quæque nos tibi, Lector humanissime, lubenti animo offerimus, delibatis primum nonnullis, quæ ad Sacram Doctrinam in universum spectant.

PROLOGUS

Alia autem et quidem non in vanis, sed in rebus Religioſis Ordinibus
et communibus quod omnia continentur in istis, et cetera
in istis Ordinibus de re Theologica scripta habentur, et in
tunc, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
collegii de his rebus, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
habentur et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
ad hunc ordinem sunt et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
veritas, et in omnibus partibus continentur, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
Theologiae publicae, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
tunc hinc et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
partes operis, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
post istum, omnia continentur in istis, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
id est, doctrinae in partibus, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
tunc in istis, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
in rebus, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
personam inducit, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
sub scripturae, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
personae sunt, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
primo parte, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
one, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,
tunc hinc, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris, et ceteris,

(3)

DISSERTATIO PRIMA.

I. THESIS.

DE SACRA THEOLOGIA.

Cum humanæ mentis captum omnino superet, quæ, et quanta sint bona, quæ præparavit Deus diligentibus se, divina revelatione opus fuit, qua homo de re tanta instrueretur, ipsique per plures aliæ veritates innotescerent, quæ sola rationis investigatione non nisi à paucis, post longum tempus, et cum admixtione multorum errorum percipi possunt. Quo uno argumento non Fides tantum, aut quævis superna cognitio, sed et illa scientia evincitur necessaria, quæ Deo cognoscendo, quantum è revelatis Fideique lumine notis concludi potest, tota incumbit. Hanc usitato vocabulo Theologiam nuncupamus. Scientiæ rationem verè sibi vendicat, philosophicas disciplinas multum per omnem modum excedens, Ecclesiæque apprimè necessaria; per ipsam enim, Augustino teste, Fides saluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, atque roboratur. Ex quo fit, ut scientia hæc sacra in Ecclesia Dei semper effloruerit, diversa tamen ratione, qua methodum attinet, exculta. Verum utraque, positiva nempe, et Scholastica Theolo-

gia, argumentativæ nomen sortitur, pro eo quod veritates suas è principiis revelatis interposito ratiocinio colligat, eos, qui ex adverso pugnant, insectando, arguendo, et quidem argumentis ineluctabilibus, quæ depromit è locis statim recensendis.

II.

DE LOCIS THEOLOGICIS.

Hi decem vulgo enumerantur, in quibus argumenta omnia Theologica delitescunt, videlicet sacra Scriptura in Libris Canonicis contenta: Divinæ inde et Apostolicæ traditiones: Ecclesia Catholica per totum orbem effusa: OEcumenica pariter Concilia: Apostolicæ Sedis Præsul, cunctos fideles è Cathedra alloquens: unanimis SS. PP., necnon juniorum Ecclesiæ Magistrorum in rebus ad fidem et mores pertinentibus sententia: Ratio naturalis, quæ per omnes scientias naturali lumine inventas latissime patet: denique, Philosophorum ac Historicorum auctoritas, qui tali nomine digni jure ab omnibus censeantur. Ex iis, septem priores loci legitima, et germana Theologiæ principia exhibent; tres reliqui adscriptitia ac velut ex alieno emendicata. Illis quoquomodo refragari nefas, postremis non item. Atque hæc de natura Sacræ Theologiæ, et principiis, quibus ea innititur. Nunc de re ipsi subjecta.

DISSERTATIO SECUNDA.

I. THESIS.

DE DEO, ET DIVINIS ATTRIBUTIS.

Excelsa Dei balbutiendo, ut possumus, resonare incipientes, ab ejus existentia exordium ducimus. Quæ res adeo explorata est, totque argumentis stabilita, ut nemo sanæ mentis compos hujusce veritatis ignoracione laborare queat inculpatus. Hac adducti ratione Atheos sistematicos, incorruptoque corde inveniri, arbitramur paradoxon. Ergo existit; audiat impius, qui veritati adeo splendide adversari ausus est in corde suo; datur in rerum natura, qui condidit universa, qui utriusque ordinis naturæ: et gratiæ est auctor, cujus nomen: *Qui est*; ipse enim est suum esse, ens à se, ens suapte natura necessarium, corporis omnino expers, spiritus purissimus, infinitus, nullis circumscriptus terminis, nullo spatio, immensus proinde: summe bonus, immo bonitas ipsa, perfectiones omnium creaturarum cumulatissime in se præhabens: immutabilis, æternus, maxime unus, nam si unus non est, nec Deus est. Qui cum lucem habitet inaccessibilem, nulla creata mens intueri eum poterit, nisi superno circumfusa lumine; nemo hominum in hac vita, uti in se

est, contemplari citra communis legis dispensationem; nemo prorsus comprehensiva eum attingere cognitione; quod solius Dei proprium omnino est.

II.

DE SCIENTIA DEI.

Mirabilis profecto facta est scientia ejus ex nobis, confortata est, nec poterimus ad eam. Nam quis cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius ejus fuit? Ipse scientiarum Dominus, qui et semetipsum comprehendit, nec est quid, seu possibile, seu contingens, aut conditionatum, aut ulla cogitatio, peccatumve, quod illum subterfugiat, cum vocet etiam ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. At in quo res, priusquam fiant, et præsertim liberas hominum actiones intueatur? Post celeberrimas congregationes coram Clemente VIII. et Paulo V. Romæ habitas adhuc manet insoluta quæstio. Nos è majorum nostrorum placitis rem ita definimus: futura libera, cujuscumque sint ordinis, sive naturalis, sive supernaturalis, et in quovis statu hominis, sive innocentiae, sive peccati, à Deo certo cognosci in suis decretis prædeterminantibus, quin ex hoc animorum libertati vel minimum inferatur præjudicium, sed magis eam statuit, firmat, et perficit. Quod sic adstruimus, adhortati à SS. D. Nostro felicis recordationis Benedicto Papa XIII (litteris in forma

Brevis ad Dominicanos suos anno Dom. MDCCXXIV.) ac de ejus consilio *magno animo contemnentes calumnias intentatas sententiis nostris, de gratia præsertim ab intrinseco, et per se efficaci, ac de gratuita prædestinatione ad gloriam absque ulla prævisione meritorum; quas ab ipsis SS. DD. Augustino, et Thoma se hausisse Schola nostra commendabili studio gloriatur.*

III.

DE DIVINA PROVIDENTIA.

In eos nunc invehimur, qui dixerunt; quomodo scit Dominus, et si est scientia in excelso? Ah stulti! qui plantavit aurem, non audiet? Qui finxit oculum, non considerat? Et alibi: quo ibo à spiritu tuo, et quo à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis maris, etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. Hæc autem mirabilis Dei providentia, quæ attingit à fine usque ad finem fortiter, disponitque omnia suaviter, in creaturam rationalem maxime sese exerit. Ipse namque benignus, ac misericors Deus voluntate quidem vera, et sincera vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire: Auxilia exinde parat, quæ sufficientia theologico dicuntur sensu, quæque singulis confert pro loco

et tempore juxta cujusque conditionem et exigentiam. Nec tamen omnes constitutum sibi finem reapse obtinebunt, fructumve salutis reportabunt, sed illi solummodo, quos à massa perditionis sejunctos libro vitæ in perpetuas æternitates adscripsit; de quibus scriptum est: *Novit Dominus, qui sunt ejus.*

IV.

DE PRAEDESTINATIONE.

Non nos elegimus Deum, sed ipse elegit nos ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, et immaculati: idcirco prædestinationem omnino gratuitam asserimus et veneramur; sic, ut dum ejus causam pro modulo nostro inquirimus, humana merita, etiam bonam voluntatem, rectumve ipsius usum, obliviscamur necesse sit. In implenda vero prædestinatione, sive in ejus executione (tametsi certissima sit, et immutabilis) præter propria merita suus est locus orationibus SS., quibus plurimum adjuvantur electi. Horum numerus exiguus admodum, si amplissimo reprobatorum comparetur. Absit autem, ut divinam voluntatem aliquos positive reprobare, seu ad sempiternæ damnationis pœnas adigere nisi è demeritorum prævisione, impio consentientes Calvino, adstruamus.

DE SACROSANCTA TRINITATE.

In hoc augustissimo Religionis nostræ mysterio nil absurdi est, nil sane quod rectæ rationi adversetur, cum utriusque fœderis paginæ, ac consentientium Patrum traditio cogant nos, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur; haud confundentes Personas, ut Sabellius, neque substantiam dividentes, uti Arius, et Macedonius. Pater vere est Deus, procedens à nemine, cui proinde Principii, atque Ingeniti, seu Innascibilis aptantur nomina. Filius, qui et Verbum, et Imago, vere est Deus, ast Deus de Deo, per veram et realem generationem ex omni æternitate à Patre promans, ipsi consubstantialis, ut Nicæna Synodus definivit. Spiritus Sanctus vere est Deus, qui ex Patre, Filioque, ut ab uno Spiratore, et amor utriusque procedit; quibuscum pari honore à nobis adoratur, et conglorificatur. Haud tamen tres Dii, sed unus Simplificissimus tantum, cum unam, eandemque numero naturam totæ tres Personæ habeant. Hæc tanti arcani, tum humanæ, tum Angelicæ menti impervii, catholica fides, quam plenissime expresit Auctor Symboli, *Quicumque*. His consona sunt, quæ pro suo munere Schola superaddidit, duas in divinis processiones agnoscens, quarum prima, ut-

pote intellectus, generatio dicitur; secunda non item, sed commune processionis nomen retinet: Relationes quatuor, ex quibus paternitas, filiatio et Spiratio passiva personales dici consueverunt, ut quæ Personas constituunt: Subsistentias itidem quatuor, nam absolutam aliam præter relativas, quæ tres sunt, statuendam per plures Theologi ducunt, quibus minime refragamur. Hæc de Deo Opt. Max., qua in semetipso perfectus undequaque, aut natura unus, aut personis trinus attenditur, potiora nobis visa sunt. Age, ut ipsum jamjam per ea, quæ facta sunt, intellectum conspiciamus.

DISSERTATIO TERTIA.

I. THESIS.

DE DEO CREATORE.

En primordia rerum à Moyse paucis descripta: "In principio creavit Deus Cœlum et Terram:" Mundum videlicet spectabilem istum, quem initio temporis, absque ullius ope, et ad suimet gloriam, sive propter semetipsum sex dierum spatio è nihilo condidit. Quod si, ut vere est, omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, ableganda eminus Manichæorum deliramenta, qui duo prima rerum principia posuere, quorum aliud optimum asserebant, nequam omnino alterum. Rejiciendus etiam Leibnitii optimismus, quoniam patratum à Deo opus ejusmodi non est, ut illimitatam ejus potentiam, sapientiam, atque bonitatem arctarit, aut exhausserit, quin alia, et alia longe perfectiora efficere queat. Igitur ex innumeris, quos noverat beneficentissimus Dominus, mundum istum cæteris prætulit, hunc elegit ut faceret, conditumque sibi ipsi nequaquam reliquit, sed ejus curam indesinenter gerit, portans omnia verbo virtutis suæ quemadmodum protestatur Auctor carminis de Providentia inter opera S. Prosperi.

Omnem autem hanc molem mundi qui condidit, ipse et regit, utque nihil non ortum sumpsit ab illo; sic nihil est, quod stare queat, factore remoto.

II.

DE ANGELIS.

Res inter creatas primo agnoscendæ veniunt spirituales substantiæ, quas in novem ordines distributas ex fide novimus, et multis apparuisse scriptum legimus, et tenemus; nec inde dubitare fas nobis est. Si nomen aut naturam quis quærit, Spiritus sunt, ab omni corporis concrezione sejuncti; si officium, Angeli sunt, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: tanta namque est animarum dignitas, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum. Quod et Regnis, et civitatibus singulis concessum minime dubitamus. Quotus autem sit Angelorum numerus, ille novit, qui condidit, et cui millia millium ministrabant, et decies centena millia assistebant. Creavit autem eos in beatitudine naturali, ubertate donorum tum naturæ, tum gratiæ locupletatos, plenos sapientia, qui perspicacissimo, quo pollent, intellectu omnia noverunt, quæ ex causis naturalibus pendent, et ad perfectionem Universi spectant; mysteria quoque gratiæ ex collustratione superni luminis. Nec tamen omnes in

agnita veritate steterunt, sed qui auxilio gratiæ actualis, ac per se efficacis amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem pervenerunt, unde se nunquam casuros certissime sciunt; cæteris superbia sua è cælo delapsis, quos inter Lucifer, qui mane oriebatur, quique tertiam partem stellarum secum traxit in infernum, ubi flammis et igne, tam miris quam veris modis torquebuntur, quin in malo obfirmatis ullus omnino vere pœnitendi locus ipsis supersit.

III.

DE HOMINE.

Postremæ nostræ disputationi hominem subjicimus, quem Deus paulo minus ab Angelis minuit, ad imaginem quippe et similitudinem suam fecit illum; simul condens naturam et largiens gratiam, habitualement scilicet, quam virtutes omnes, ac dona fere innumera comitabantur, et in qua homo perseverare posset, si vellet. Sic protoparentes nostri è manu conditoris prodire, animo et corpore immortales, libertate gaudentes, scientia omnium, quæ ipsos decebat, mira sanctitudine, tum exuberanti justitia originali præditi, quam in filios à se carnaliter procreatos transfunderent, ni miserando lapsu à proposito decidissent. Missa facimus quamplurima alia, scitu dignissima, quæ habet Ang. Doctor de statu innocentia,

sed illud minime prætereundum, quod et tunc homo homini dominaretur, nec fuissent omnes inter se æquales, ut fusiore sermone, et lepide admodum, quod ipsi familiare erat, demonstravit sapientissimus P. Alvarado (*alias Filósofo Rancio*) in suis epistolis vere aureis, et præsertim 4.^a, 5.^a, et 6.^a, in quibus eminentiæ libertatis, et æqualitatis conclamatores ad nihilum redigit.

Hic sistimus, reliquas Theologiæ partes concertatoribus nostris relinquentes, qui amplius, et perfectius studiorum Provinciæ suæ specimen exhibebunt. Tu vero, Lector benevole, intende in ea, quæ de Deo uno, et trino, ac universorum conditore tantisper delibavimus, et si quid non satis apte dispositum, aut minus accurate enunciatum offenderis; ut nobis, qui homines sumus, veniam impartiare, enixius rogamus, tuæ insuper, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni omnia subjicientes.